

Romæ Typis Ignatij de Lazeris. 1653.
Supior. pmiſsu

FERDINANDO III AVSTRIACO AVGVSTISSIMO, INVICTISSIMOQ; ROMANORVM IMPERATORI, HVNGARIAE, BOEMIAEQVE REGI SACRATISSIMO, &c.

PETRVS IACOBVS FAVILLA
FELICITATEM.

CVM totus iret in plauſus Terrarum Orbis, Auguſtiſſimumq; FERDINANDI IV.

inaugurati Romanorum Regis nomen fauſtiſsimè vndique inſonaret; nec ipſe, imperitus licèt Poeta, à cantu abſtinere potui, Auguſtiſsime CAESAR. Pudebat enim me, qui diſertiſsimas linguas centum in Auſtriacas laudes optarem, vnicam ſaltem, vel rudem non exerere. Pudebat, ei gratulatrices denegare voces, cuius meritis deberentur Imperia: Nec poteram exultantis Animi, ne erumperet, cohibere lætitiam, cum ad Imperij regimen viderem admo-

tum eius Cæſaris Filium, qui tam ſanctè, tam ſapienter rexit, ac regit Imperium. Per eam electionem prouiſum ſatis, ſatis conſultum eſſe Populis intelligebam. *In* ijs nimirum, quæ fecerat Pater, quæ facturus eſſet Filius contemplabar: deuictos armis Exercitus, ingentes reportatos triumphos; pietate, virtutibuſq; ſuperatos Heroas, profligatas hæreſes, auctam Religionem, ſanctitatem omnem excultam. Decuit ergò me, & Auſtriacæ gloriæ, & publicæ vtilitati

 gra-

gratulari; cum præcipuè neq; gratis, neq; vt exterus in gratulationem vocarer. Per clementiam, munificentiamq; tuam factum eſt, CAESAR, vt & veluti Regni domeſticus; & ingentibus obſtrictus beneficijs gratulatum venirem. Patruum quippe meum, vniuerſa cũ ipſius familia, poſteritateq; Hungaricæ adſcripſiſti nobilitati, eumque à Conſilijs Sac. Cæſ. Maieſtatis Tuæ titulo tenus eſſe voluiſti, Romanaq; in Aula Auditoris munere fungi. Ea propter Carmen,

hoc

hoc animi grati conſilio vni tibi ſacrandum fuit. Quanquam cui iuſtiùs, quàm Nepoti, qui ea in immenſum auxit, celebrarẽ Maiorum decora? Cui iucundiùs Filij virtutes canerem, quàm Parenti, qui virtutes tranſmiſit in Filium? Nàm quod tutius patrociniũ, quã Cæſaris? Et hoc ergò meritò exoptauit ſibi Poeſis mea; ne ſua in obſcuritate natiuo velut in tumulo iaceret, primoque in ortu nanciſceretur occaſum. Tuæ iam Maieſtati dicata, in tua viuet immorta-

litate. Hanc Sac. Cæſareæ Maieſtati Tuæ, Sereniſsimo Romanorum Regi, Auguſtiſsimæque Auſtriacorum vniuerſæ familiæ largiſsimè impertiat Deus.

CARMEN

AVSTRIACAE micuere Aquilæ per inane (Volucres
Romani Iouis); & motis toto æthere pennis,
Haud ſibi degeneres, traxere in lumina pullos
Maturos Phæbi, & Prolis fecere periclum.
Robur nunc haurire nouum, vireſque recentes
Induere, atque iterùm validos armare lacertos,
Romanum decet Imperium: reparata iuuentus
Eſt Aquilæ; vtque Aquilæ Imperio eſt reparanda iuuentus.
Iam nullam Rheni formident arua ruinam:
Bellatrix gemina regitur Germania dextra.

Parce tamen ſuetis inuoluere clara tenebris,
Euterpe: Auſtriaci Iuuenis ſurgentis honores
Romuleum in Regnum canimus; quem Patria virtus
Suſcipit Imperij ſocium; Mundique Senatus
Expertus meritum tanti ad faſtigia Regni
Euehit, atque vltrò cingit diademate frontem.
Caſtalides, centùm ſolitæ diſtinguere cantus,
Altiùs Heroum reuocate in carmina plectrum,
Maioremque mouete chelym: tum Vatis obire
Cæſarei munus, tum, fas erit, addere Diuis:
Et quartum Cælo tranſcribere FERDINANDVM.
Poſtquam Bellonæ furias, certataque turmis
Prælia funeſtis, pietate auertit, & armis
Tertius, Auſtriadum Regum qui maximus Orbem,
FERDINANDVS habet, Terras Pax alma reuiſit,
Et paulum amotæ curæ, pacataque fulſit
Imperij facies, & Cæſaris alta reſedit
Mens, dilecta Deo, Mens magnis æmula Diuis:
Olli tum tacitæ tranquilla per otia Mentis
Ter Pax viſa loqui: Paci ſunt Virginis ora
Sydereæ, Cælique decor: ſtant lactea circum
Pectora candentes habitus, & ad ima fluentes;
At collecta coma in tergum: ſacra dextera ramum
Ardua prætendit, ſed ramum albentis oliuæ.
Talis forma Deæ: niueo ſed melleus ore
Sermo fluit, placidùmque ſonans adlabitur aures
Cæſaris, & tali prænunciat omine Regnum:

Prin-

Princeps Regnorum, Cæſar, Regnator & Orbis,
Quæ retinent tua fata moræ, fatumque tuorum?
Imperij ſapiens rexiſti ingentis habenas,
Ingentes Populos: tantum ſic, Magne, regendo
Imperium, totum quis non ſibi vendicet Orbem?
Auguſtæ non vna tuæ, non vna tuorum
Laurea debetur fronti: diademata centum,
Centum ſceptra Parens meruiſti præmia Natis:
Et cunctaris adhuc in cætum cogere Patres
Imperij, & Patribus Romanum indicere Regem?
Quippe verere, tuum ne quis non ſtemmate Natum
Maturum, meritumue putet? Non inuida Proli
Tantùm fama tuæ; nec tantùm inuiſa Poteſtas
Auſtriadum creuit Terris: dilecta Deoque,
Et Populis dilecta viget; ſemperque vigebit
Gratior, atque, vltrò famulum, moderabitur Orbem.
Ipſi Romulidæ quondam, qui nomina Regum
Auerſi horrebant, optarent vos modo Reges,
Auguſtique magis, quàm Conſulis ora placerent:
Cognato neque enim macularent ſanguine dextras
Bruti, nec caderent transfoſſi ſpontè Catones.
Vt Volucres Aquilam, Belluarum vt turba Leonem,
Vt flammas Elementa, vt Cæli Sydera Solem;
Non ſecùs Auſtriadas hominum ſibi præficit Ordo.
Qui Populus veſtro, quæ Gens tam barbara ſceptro
Subijciat non ſpontè caput? ceruice rebelli
Mitia quis facilis detrectet pondera dextræ?

Quin

Quin & cuncta ſui genium ſi Regna ſequantur
Arbitrij, veſtros Regna ambitioſa venirent
Sub faſces, peterentque iugum: non Bactra, nec Indus
Detrectaret onus; non tonſæ frontis Iapon,
Protenſaue grauis barba Sinenſis; auitis
Cederet è Laribus Mogoridis incola Terræ,
Parthus, & extremis poſitus Cathaius oris.
Auſtriadum neque enim nomen concluditur arctis
Finibus Europæ: Populos penetrauit in omnes,
Quì iam cunque patent, & qui latuere, patebunt,
Veſtras vt Laudes, & nobile nomen adorent.
Nec pridèm (ignotas per tot iam ſæcula Terras)
Ingentes vltrò reſerauit America tractus,
Et famulam Thetiden, famulos Orbemque, Polumque
Auſtralem Auſtriacis, centum illibata per annos,
Seruauit; Regis iam tum præſaga futuri.
Mox ſi fata ferant, inſuetum Nauita pontum
Diuidet, inque nouas dominabitur Auſtria Gentes.
Interea, CÆSAR, communibus annue votis,
Conciliumque voca; quo iam tua maxima Proles
In Regnum veniat, tituliſque aſſueſcat auitis.
Ambiguum, Rex, pone metum: licèt ambitus Orbem
Vertat, & immodicos regnandi immenſa cupido
Addat cuique animos, ſtimuloſque impellat acutos;
Audet nemo tamen veſtro præferre fauori
Fortunam incertam, & contendere viribus impar:
Tantùm Orbi Auſtriacæ creuit reuerentia famæ.

Sic

Sic cum fortè animis ardens ignobile vulgus
Fluctuat, & Populi ſibi quiſque expoſcit habenas,
Maiorum Procerum ſi venerit obuius Heros,
Hærent, quæſiti nec iam quæruntur honores.
Haud aliter, Mundi in Scænam cum prodit onuſtus
Auſtriade ſceptris, & laudibus auctus Auorum,
Vltrò omnis cedit turba ambitioſa Senatus.
In vos fauſta ruunt: vobis veniſſe ſub auras,
Et Regnum meruiſſe, vnum eſt: nam iure paterno
Ni datur Imperium; meliori iure potitur
Virtus veſtra ſuo: virtuti libera ſeruit
Patria, & obſequium meritis eſt germen honoris:
Hinc & fama Ortus, hinc prædicat incrementum
Veſtrarum laudum, ſubiectique Orbis habenas.
Virtutes ad regna gradus feciſtis, & ipſum
Moribus auguſtis Regnando æquaſtis Olympum.
Quæ pietas? quæ priſca fides? qui viuidus ardor
Numinis, atque vnà recti, iuſtique colendi
Feruida Mens! tantùm flagrant ſuper æthera Diui!
Barbaries eiecta procul iacet Orbe Latino,
Europaque procul: perijt violentia Regni,
Sæua fames auri, & nunquam ſatur ardor habendi:
Virtus ſola viget, meritumque ſecuta poteſtas;
Dulcis agit Populos modus, & clementia dulcis.
Vt perhibent olim Saturno ſæcula Rege
Spargebant auro Terras, & melle beabant:
Nunc melior venit vobis Regnantibus ætas,

Alta

Altaque pax multo regnat pretioſior auro.
Quanquam Pacis amor, Martis nil mollit amorem:
Romanos mores, patrias didiciſtis & artes,
Tollere ſubiectos, & ſubieciſſe ſuperbos.
Nam quis communi pro Relligione phalanges
Inſtructas referat, deportatoſque triumphos?
Sæpiùs inſtratum gemuit ſub claſſibus æquor,
Sæpius incuſſis reparatus cladibus Orbis,
Cladibus infandæ gentis, populique rebellis.
Piniferæ ſyluæ in tumidas abiere carinas,
Inque feros, falces mutatis vſibus, enſes.
Pallida Theutonicos texere cadauera campos,
Sanguineum Oceano fluuij inuexere tributum
Inſolitum, errarunt trepidi Delphines in vndis.
Auſtriacas ſenſere manus, ſenſere ſecures
Thracia, & Odryſij caſtra inſidioſa Tyranni.
Scipiadas alios mirata eſt Aphrica, & altæ
Deuictas iterum fleuit Carthaginis arces:
Rurſum alios vidit bellax Germania Druſos;
Et noua non domitos domuerunt arma Triones.
Quondam Euerſores Vrbis, Latijq; flagellum
Fracti ſæpe ſuo dederunt in Sanguine pœnas.
Qui meminiſſe labor poterit tot bella, tot hoſtes,
Totq. virum, cædeſq. Ducum? tot funera Regum?
Tot ferro edomitas gentes? tot regna maniplis
Defenſa: & magnum deductum in fœdera Mundum
Scilicet Imperium Auſtriaco ſtat Marte latinum,

Auſtria-

Auſtriaco ſtant enſe, Fides, & Numinis aræ
Protectæ: Has etiam ſectarum Monſtra cruentis
Vnguibus impetere; & (quid non Mens improba tentat?)
Ipſo æquare ſolo tentarunt: funditus omnis
Ceſſiſſet labor; & veræ Pietatis honores
Diſiecti ſcelerum turmis, vitijſq. ruiſſent.
Sed iam Caſuræ Fidei ſtetit obuius ingens
Auſtriade, & tantam ſuffulſit pectore Molem.
I nunc Alcidem, & Cæli fulcimen Atlhantem
Iactes, ſi tantæ ſpectes modo robora Gentis!
Siqua viget Rheno pietas, ſi priſca verendum
Seruant Templa decus, ſi, Diuum exempla, coluntur
Effigies, ſi ſacra fidem, meritumque tuentur
Obſequium, immanes parent ſi legibus Vrbes:
Si mundi ſolium, ac ſceptrum fatale Quiritum
Immotum ſtat adhuc, longo nec tempore nutat,
Si Diuos Boreas, Numen ſi Veſper adorat:
Omnia ſint, opus Auſtriacæ, & miracula dextræ.
Prò quantum Auſtriadæ rectèq; ſatiſque merentur
De Superis (noſtro ſi ſic licet Orbe mereri)!
Felices animæ nimiùm, queis debet Olympus,
Et Deus acceptos cum fænore reddit honores!
Et miramur adhuc, ſi veſtra in iura volentes
Accedant Populi, dominuſque obtemperet Orbis?
Salue Magnorum generoſa familia, Regum
Fertilis, & centum gignas fæcunda Nepotes!
Quam tibi commemoret ſimilem, ſeù prima vetuſtas

Seù

Seù media, & ſeris ventura Nepotibus ætas?
Quæ tot tam felix vixit per ſæcula? ſeù quæ
(Mitte alios centùm diuerſo tempore Reges)
Non interciſa ſerie, non ordine, clara
Cæſaribus denis, ſceptriſque Aquilonis onuſta?
Sic vno cedente, Heros iam proſilit alter
Inclytus, & ſimili grandeſcit Cæſare Mundus:
Dulce iugum Populi delibauere: quod optant
Nec mutare placet. Seu Numen regna gubernet,
Aut ſi mortales regnorum ad fræna vocantur,
Regibus Auſtriadis hæc ſit conceſſa Poteſtas.
Supremi didicere diù moderaminis vſus:
Experti cupidum capiant quæ pabula vulgus:
Ingenui quid ament Ciues: quo more regatur
Nobilitas: quid caſtra iuuet, quaue arte tumultus
Cedant, & toto vigeat concordia regno.
Sic qui Neptunum longo tentauerit vſu
Nauita, quà vergi puppes: qua ritè moueri
Lege gubernaclum deceat; quæ ſydera curſum
Dextera fortunent: inflent qui Carbaſa Venti,
Nouit: & incerto certus regit æquore pinus.
    Nam quæ tam faciles variabilis Orbis habenas,
Tamque diù tenuere Manus? Vix Cæſaris ingens
Victoris dextra auſpicijs Regalibus olim
Impoſuit: mox indomita ceruice Quirites
Excuſſere iugum. Quod ſi felicior auſis
Auguſtus faſces iterum reparauit; honores

Ipſe

Ipſe ſibi ſtruxit, ſecum ipſe reuexit in Orcum.
Namque nec hæredum ſeries, non ordo ſequtus
Heroum: vario iactatum Cæſare Regnum.
Stirps alijs; alijs ſed virtus defuit hęres,
Degenereſque diù tenuerunt ſceptra Tyranni.
Imperium tandem tot poſt diſcrimina regum,
Pacatum veſtris, tutumque quieſcit ab armis.
Non vltrà incerti quæſitor Principis errat,
Quos legat Orbis, habet Patreſque, Duceſque perennes
Auſtriadas, Sobolem Regum, Regumque Parentes.
Viuunt regnantes animorum in Sede Rodulphi,
Viuitis, Alberti gemini; geminique decori
Maximiliani armis: totidem quoque Cęſaris oſtro
Friderici humeros aptant: memor exerit Orbis
Matthię laudes; Caroli ſed nomina toto
Cęlo affixa nitent: at nullo munere linguę
Ferdinandorum Phæbus iactabit honores.
Te primùm, Cęſar, veneratur ſama, tuoſque
Seù pietate graues, ſeu claros Marte triumphos.
Experiare tamen Populorum, in Prole, fauorem.
Iamque age, pande vrnam, numera ſuffragia, Patres
Omnes vnum agitant votum: mens Patribus vna eſt:
Concepere diù iam Regem: quemquè ſalutent
Hæredem Imperij ſimilis tibi cętera Natus
Vno ſit numero diſpar; perque Aſtra per Orbem
Mox FERDINANDI quater inſonet vndique nomen.
Hac- Pax alma tenus dixit; tum protinus oras

Se tulit in Superas; patuitque volubilis æther.
Qualis amica Ioui Volucris, cum fortè volandi
Viuidus egit amor, ſtridentibus aera pennis
Findit, & auguſtum caput inter ſydera condit;
Talis Diua celer niueis ſe ſuſtulit alis.
At ſecum Cæſar ſecreta Mente rependens
Nati fata ſui, Cæloque iubente, vocauit
Concilium; ſedes, delecta Auguſta, Senatus.
Sexcentos, & mille Iubar compleuerat Orbes,
Luſtraque dena ſuper iam tertius annus Olympo
VIRGINIS à partu errabat; terraſque tenebat
Maius odoriferis præcinctus tempora ſertis.
Tunc Natura nouos inducit rebus amictus,
Æmula prata Polo radiant, ſua ſydera campi
Oſtentant hilares, & mille coloribus hortos
Plurima Flora notat; vernantia ſerta miniſtrat.
Delicijs primum pandit Pomona theatrum,
Æſtatemque ſinu fert, & conceptum Autumnum:
At Bellona graui dextra complexa flagellum,
Vndique ferales excibat ſæua tumultus.
Sequanici tractus, & regi proxima Tellus
Fluuiorum Eridano: lymphis pretioſus Iberus,
Pontus hyperboreus, rigidi pars vltima Mundi:
Sarmatici fines, Venetuſque, & Thracius Orbis
Arma miniſtrabant, fuſique in bella ruebant;
Totaque funeſtis Europa micabat in armis.
Sed placidam Rhenus frontem velabat oliua

Vnus

Vnus, & Auſtriaco diadema in pace parabat.
Nec mora: deſeruere lares, metamque viarum
Auguſtam petiere Patres: Auguſta vocatur
Vrbs antiqua, potens, opibuſque decora ſuperbis;
Inclyta Vindelici coluerunt mœnia ciues.
Hac nondum Cæſar fuerat delectus in Vrbe
Vllus; nunc primùm, Rex FERDINANDVS, haberet
Ne vulgarem Aulam, legitur: concurritur Vrbi
Vndique: ſupremi Proceres, lectique Dynaſtæ,
Et comitum, famulumque greges, atque agmina equorum.
Vtque, die fugiente, faces, & ſydera ſero
Funduntur radioſa Polo, longo illa vagantur
Ordine, & immenſos implent fulgoribus Orbes;
Sic Cæſar, primique Duces cum millibus ibant,
Excipiunt magno, venientes, murmure Ciues,
Murmure lætitiæ, reſonat clangoribus æther,
Et tormenta tonant, tinnitibus æra reſultant.
Dona ferunt cælatum aurum vultuque decorum
Cæſaris inſculpto: generoſi Munera Bacchi,
Argentumque, dapeſque, & grati pignora amoris.
Aduenit mox læta Orbi, niueoque lapillo
Deſcribenda dies: qua ſacrum ingreſſa theatrum
Patrum electa manus: Moguntı gloria Præſul,
Quique colit Treuiros, quemque Agrippina veretur
Sedes: qui Boioemum Rex temperat Oram:
Arua Palatinus Rheni moderatus: at inde
Qui Bauarique Ducis, qui Saxonis Oratores,

Et Brandeburgi, auguſtas implere Senatus
Venerunt partes (tot nunc ſortita poteſtas
Dicendi Regem, & Romana in Regna vocandi)
Itur ad antiquum Templum (ſacrauit honori
Vldarice tuo Pietas) conſiſtitur ipſas
Ante aras: de more fides iuratur, & alta
Sydera teſtantur Proceres, ni iure legatur
Optimus, ac tantam dignus geſtare coronam.
Sacramenta opus aſſequitur: nam protinus omnes
Quem Cælum, Telluſque, vnà quem fata vocabant,
Romulidum Regem te, FERDINANDE, coronant.
Audijt, & totus feſtiuis ignibus Orbis
Canduit: auguſtis micuerunt mœnia pompis,
Gaudiaque effuſis teſtatæ laudibus Vrbes.
Non aliàs Phœbo tantùm lux alma ſereno
Fulſit, ſeu nitidas duxerunt ſydera noctes.
Danubius ripas exit plaudentibus vndis,
Conſtitit & medio ſuſpenſus flumine curſus:
Cernuus incubuit ceruicibus Appenninus,
Atque humili Regem venerati vertice Montes
Demiſere caput: Nymphæ duxere choreas
Per ſyluas, perque arua choros; ſtrepituque tubarum
Impulit Oceanum, vertit maria omnia Triton,
At Rhenus læua, dextraque amplexus auenam,
Talia feſtiua modulatur carmina voce:
O quem te memorem primæuo in flore iuuentæ,
FERDINANDE, Patris ſpeciem, moresque ferentem?

Quis tua non vltrò præcingat tempora? Quis te,
Terrarum Columen, Romana in regna vocatum,
Electum, geminis non amplexabitur vlnis?
Seu genus Anicia referas de Gente Latinum,
Siue Dagoberti Germano è ſanguine Regis,
Iam, decus Heroum, tibi feſtinata recurrunt
Aurea Maiorum fata; & felicibus orſis
Maxima prima ætate tenes: quæ culmina rerum
Attingas Senior, iuuenis ſi tanta capeſsis?
At maiora potes: genuit te pectore toto
Regia nobilitas: cunas tibi ſceptra ſuperbo
Inſtrauere ſolo; cingentes membra Coronæ
Faſciolas ſtruxere pares: at pabula lactis
Prima dedit Pietas; ſtillarunt ſydera ſuccos,
Totaque rorifero pretioſa Galaxia Cælo
Nectaris effudit nimbos: comes alma Iuuentus
Aligerum officioſa ſtetit, famulantibus aſtris,
Et famulis centum Populis: natalibus ipſis
Hauſiſti Regalem Animam, grauidumque Tonante
Pectus, ſydereo non impar pectus Olympo.
Mox Martis ſtudiis, & Palladis artibus ingens
Creuiſti in laudes, magnoque in corpore, magnum
Firmaſti Mentis robur; frontiſque decoræ
Maieſtatem implens, maturi Cæſaris ora
Præfers ante diem: regnat Clementia vultu,
Laus prima Auſtriadum; radiat tranquilla voluptas
Sparſa genis; blandaque rigor ſe temperat aura.

Non

Non ſecus hyberno cum ceſſerit ęthere bruma,
Vere nouo pexam leni Sol explicat auro
Cęſariem: blandumque caput mortalibus offert
Gratior, & radijs genialibus omnia complet.
Qualis equo, quantuſue ſedes, ſeu fręna relaxes,
Alipedemque fuga ſtimules; ſiue vngula pulſet
Lenta ſolum, iubeas: & crebro aſſurgere ſaltu,
Aut centum, doceas, per compita ducere gyros?
At ſonipes ſummum excutiens ſudore laborem,
Sydereum teſtatur onus: callemque ſuperbus
Verberat, ac tumidam ceruicem à pectore tollit,
Vix olim tanto gemuit ſub pondere ſęuus
Bucephalus, Macedum quamuis vectaret onuſtum
Heroem ſpolijs, criſtiſque prementibus Orbem.
Quantus enim ferro aſſurgis? Mars crederis, arma
Cum tractas acer, maiorque videris Achille.
Quis gladio incedit melior? quis promptior haſtam
Impellit, reuocatque celer? quis certior ictum
Dirigit in quemcunque ſcopum? mirantur Alumnum
Bellipotens cum fratre Soror; miratur & ipſa
Exercens Diana choros, celereſque ſagittas,
Cum belli ſimulacra refers, aut fortè ferarum
Venator Syluis erras, ac ſpicula torques.
Non aliter puerum quondam mentita vetuſtas
Fulminibus luſiſſe Iouem; quibus ille Gigantes
Mox, auſos ſuperum nequicquam inuadere Cælum,
Perculit, atque ima deiectos ſtrauit arena.

Exer-

Exerces, Generose, manus, hoſteſque futuros
Iam terres; nec adhuc vrges in prælia ferrum.
Sic Libycis armenta plagis timuere iacentem
In campo catulum, creſcentemque vngue Leonem.
Iam trepidant longè Parthi, Maurique feroces,
Et fractos lugent Thraces mucronibus enſes.
Iamque Boryſthenææ præſago flumine lymphæ
Turbatis iuere vadis: iam vulnera ſentit
Quiſquis Romani nouit ſe nominis hoſtem.
Quid cum regnanti veniet robuſtior ætas,
Agminaque, & claſſes Dominus Terràque, Mariquè
Duces, ac niueo Victor portabere curru?
Quid cum fæcundus numeroſæ germine Prolis,
Armabis multos generoſa in prælia Martes?
Iamque tibi clypeos, gladioſque ſub igne Pyracmon
Molitur, Brontes, Steropeſque incude laborant:
Talia Dardanio cuderunt arma Parenti.
Macte animis, Princeps, quantus, quantus patet Orbis,
Iure tuo flectendus erit: nec languidus hæres,
Romula Regna bonus repetes raptoribus vltor.
Concipite hæc animo, quotquot graue pondus habenæ
Obruit hoſtilis, ſubiectaque Regna Tyrannis:
Gentibus hæc Iuuenis prænunciat ardua virtus.
Nec pridem Cælo, quàm Tu legerere, minaci
Igne rubens, micuit crinitus fronte Cometes,
Te fauſta aſpiciens, aduerſa luce rebelles.
O charum ſuperis Iuuenem, cui triſtia lætos
Omina portendunt faſces: Cælumque miniſtrat

Syde-

Sydera in obſequium, & rebus ſua munera mutat.
Nec ſine fatorum iuſſu Cyllenius ore es,
Et vario, Princeps, decoratus munere linguæ:
Agnoſcis linguas centum, Populoſque paterno
Teſtaris ſermone tuos: vt primus in omne
Productum præfectus Adam: quemcunque ferarum
Calluit ille ſonum, & nomen ſuperaddidit aptum
Recturus: modò manſiſſet ſibi tanta poteſtas!
At tibi nunc manſura venit: cape ſceptra, beatus
Viues, & longum, Rex FERDINANDE, per æuum:
Exiguum ne ſperne decus: te Cæſare dignum
Ni tradat ſors Imperium: tù Cæſare dignum
Efficies: tu plura dabis, melioraque finges,
Quam capias Sceptra: ò rerum, venture, leuamen,
Et regimen Populis vnum, Columenque, future!
Spero equidem, ſi totum vnquam ſub legibus iiſdem
Fata ferant Orbem: toto ſi cedere Cælo
Eueniat portenta: plagis ſique omnibus omne
Contigat periiſſe nefas: ſi gentibus vna
Relligio ventura manet, Mundo vna Poteſtas,
Et dextram Heſperio rurſus coniungat Eous,
Omnibus atque omnes vndis immiſceat vndas
Tethys, & extremis ſocientur flumina lymphis,
Atque omnis veniat ſupplex in fœdera Tellus,
Et nullas vllus diſcerpat terminus oras:
Talia, Rex, ingens tua condet ſæcula Virtus:
Hæc modò ni veniant; ea quis ventura putabit?
Nunquam aderit, ſi, Principe te, aurea non venit ætas.

finis